

BREVILOQUIUM

PEREGRINATIONIS ET MANSIONUM XLII, QUAS IN DESERTO HUIUS SEculi
NEQUAM HABUIT THOMAS, EPISCOPUS PRIMUM LEXOVIENSIS IN PRO-
VINCIA ROTHOMAGENSI, POSTMODUM CESARIENSIS ARCHIEPISCOPUS
CESARÆE PALÆSTINÆ, AMBULANS PER FIDEM AD SPECIEM ET VERAM
TERRAM PROMISSIONIS, PER ANNOS LXXVI.

Quemadmodum in Job c. vii. legimus, « Malitia est vita hominis super hanc terram, quæ potius peregrinantium et morientium, quam civium aut viventium terra appellari rationabiliter debet; » unde beatus Apostolus in Epistola ad Hebræos dicit quod « non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus; » quam inquisierunt olim sancti patriarchæ et patres Veteris Testamenti, contestantes, ut idem Apostolus ait, « quia peregrini et hospites erant super terram. » Qui enim hoc dicebant, significabant patriam inquirere non in hoc transitorio et instabili mundo, ubi nullæ sunt perpetuæ et mansuræ sedes, sed meliorem, scilicet cœlestem; exspectabant enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor est Deus, quæ nullo hostium impetu turbari vel expugnari, nullo metu vel terrore concuti possit. Illic profecto, qui cives esse meruerint, nunquam inde emigrare vel inde exsulare, nulla quorumcumque desiderabilium honorum inopia, nulla fame aut peste seu

quacumque corporis aut animi molestia affici possunt, ut inde alio transferri vel oporteat vel urgeantur; sed certas et perpetuas inibi sedes, omnium quæ desiderari queunt copia atque abundantia refertas, sortiuntur. Hanc hujus labentis sæculi peregrinationem et absque ulla pæne cessatione mutationem atque instabilitatem si minus, quæ misera nostra mortalitas dietenus experitur, sufficiant, bene etiam et abunde ostendunt tot castrorum mutationes et mansiones, quas habuerunt filii Israel, postquam exierant de Ægypto, peregrinantes et tendentes per desertum ad terram promissionis, quarum catalogum scripsit Moises Numerorum c. 33; de quibus beatus Hieronymus libellum scripsit adtitulatum: *De XLII mansionibus Israelitici populi per desertum*. Omnia autem in figura illic contingebant; scripta sunt vero propter nos, ut Apostolus ait, ut videlicet erudiantur et admoneantur fideles et agnoscant non habere se nec sperare debere in deserto hujus mundi civitatem manentem, nec certas et permansuras sedes, sed se velut hospites et peregrinos in hoc sæculo debere tendere ad veram terram promissionis, quæ est terra viventium, cujus illa terra olim promissa patribus, quæ terra promissionis dicitur, erat duntaxat typus et figura.

Et quia etiam per fidem ad hanc veram terram promissionis tendentes et ambulantes atque in Dei misericordia et gratia ad eam perventuros sperantes, per desertum hujus mundi in hac peregrinatione mortalitatis nostræ multas jam et varias habuimus mansiones (et an adhuc alias novas et quot habituri simus, incertum habemus), veluti brevem catalogum quemdam earum quas jam experti sumus, et locorum in

quibus per annos vel menses diversati sumus, litteris mandare nobis in mentem venit, ut tot velut hospitiorum et locorum migrationes et tædio ac fastidio plenas tot sedium mutationes animo observantes atque recolentes, ferventius desideremus et enitamur fide ac bonis operibus ambulando ad illam felicissimæ quietis patriam ac civitatem pervenire, unde nunquam optare vel compelli ullatenus possimus emigrare. Tunc enim cum illo, Dei gratia et misericordia nos dirigente, pervenerimus, in æterna et segura sede collocati, canemus Deo nostro cum regio Propheta illud quod ipse in LXI psalmo cecinit: « Ipse Deus meus et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius, » et paulo post: « Quia ipse Deus meus et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo. »

Nostras itaque hujus labentis et instabilis vitæ peregrinationes et per varias regiones, urbes et mansiones atque demigrationes relaturo, ab infantia nostra et pueritia initium faciemus.

Cum enim anno Domini 1412, in oppidulo quod Caletibecum, vulgari vero sermone *Caudebec* appellatur, sito ad ripam Sequanæ, ab urbe Rothomago VII leucis gallicanis versus mare distante, in hanc lucem ex materno utero editi fuisset, triennio circiter post¹ Anglorum rex Henricus de *Lencastre*² cum magna classe et valido exercitu ex Anglia trajiciens, castrum contra oppidum Harefluti atque obsidionem

1. Août 1415.

2. Henri V. Voy. t. I, p. 16 et sq.

firmissimam posuit ; compulsisque qui illic erant fame et penuria , tam loci accolis , quam militibus qui ad tuendum oppidum inibi fuerant collocati , oppidum pro suo arbitrio et sub legibus et pactionibus quas sibi obsessis dare collibuit , in deditionem accepit.

I. Ubi cum suorum valida præsidia reliquisset , et Gallici etiam oppidum præfatum , unde nobis origo est , militibus implevisset , statuerunt parentes nostri , ut militum insolentias , injurias atque violentias devitarent , e loco migrare , et inde , spe illic residendi , Rothomagum transierunt cum familia et potioribus mobilibus suis , nos secum , quocumque se conferrent , semper deferentes.

II. Cum vero post nonnullis effluxis mensibus , incursantibus totam istam patriam Caletensem ex una Anglorum et ex altera partibus Francorum militibus , atque omnia diripientibus , terra habitatoribus vacuata fuisset , jacerentque squalentia deductis arva colonis , e quibus pars non modica ob loci munitionem ad urbem Rothomagum propter metum Anglorum confugerat , atque obortæ inde fames et pestis illic sævisime grassarentur , noluerunt inibi parentes pericula sævientis pestis expectare , sed inde Vernonem oppidum , qui locus securior videbatur , denuo demigrarunt , nos semper cum eis deducetes.

III. Atque cum pluribus inibi mensibus stetissent , et urbs ipsa Rothomagum utcumque a peste liberior diceretur , illuc denuo redierunt.

IV. Porro cum in dies magis ac magis rumor invalesceret quod prædictus Henricus , Anglorum rex , ad aggrediendum Normanniam et regnum Francorum majores longe et classem et copias cum omni genere

bellici instrumenti , quam antea , in Anglia appararet¹ , existimantibus fere cunctis quod ad partem fluminis Sequanæ in qua est oppidum Harefluti , quod jam acquisierat , trajicere et copias suas illic effundere atque exponere et Rothomagum , totius Normanniæ metropolim et caput , aggredi deberet , nolentes parentes periculum illic expectare , sed cupientes potius , quoad turbo imminentis belli conquiesceret , in aliquo tuto delitescere loco , amicorum consilio ad oppidum firmissimum Falezia e Rothomago sese cum familia et potioribus mobilibus suis contulerunt , nobis , qui tum quadriennes et paululum amplius eramus² , secum eo deductis.

V. Quo loco cum per paucos menses , qualis futurus esset eventus belli opperientes , constitissent , et rumor repente universam regionem implevisset regem Anglorum cum suis exercitu et classe non ad illam partem Sequanæ in qua Hareflutum acquisierat , quemadmodum putatum fuerat , trajecisse , sed ex alia parte versus inferiorem Normanniam , ad villam de Tolca³ suas copias deposuisse , unde primum Cadomum et inferiores partes Normanniæ foret aggressurus , deliberare parentes propere versus Armoricam Britanniam proficisci. Relicta itaque Falezia cum festinatione , aggressi sunt iter versus Britanniam , et primum circa confines Normanniæ et Britanniae , in villa quæ Sancti

1. Au printemps de 1417.

2. Puisque Thomas Basin n'avait qu'un peu plus de quatre ans , au commencement de 1417 , il fallait qu'il fût né tard dans l'année 1412.

3. Août 1417. Comparer l'Histoire du règne de Charles VII , t. I , p. 26 et suiv.

Jacobi de *Brevant* nomen habet, sermone vulgari *Saint-Jame de Brevant*¹, stationem fecerunt.

VI. Ubi cum intelligerent Anglos sese quaquaversum per inferiorem Normanniam diffundere, loco illo relicto, versus civitatem Redonensem iter ceperunt, quocumque transirent nos secum deducentes. Quo cum pervenissent, ibi mansionem prope per annum habuerunt².

VII. Postmodum vero cum Anglorum milites, qui totam fere inferiorem Normanniam conquiesierant, usque in fines Britanniae (a quibus non multum distat civitas Redonensis) percursarent et praedas agerent, volentes ad tutiorem se conferre locum, relicta Redonense civitate, ad civitatem Nannetensem sese contulerunt, quae sita est super ripam Ligeris, non longe a loco ubi influit in Oceanum. In ea autem civitate mansionem plus anno habuerunt.

VIII. Interea vero cum, per Anglorum regem subacta primum inferiore Normannia, etiam ipse urbem Rothomagum, longa obsidione vexatam, ad deditio- nem coegisset³, et totam fere Normanniam sub imperium suum acquisivisset, rebus in eadem utcumque pacatis, deliberaverunt parentes ad propria remeare. Unde non multo post ad agros proprios suasque sedes redierunt, ad praefatum scilicet nominatum oppidulum *Caudebec*, cum jam ferme aetatis annum septimum at- tigissemus⁴.

1. Aujourd'hui Saint-James-de-Beuvron, dans le département de la Manche.

2. Ce qui conduit à peu près vers le milieu de l'année 1418.

3. Tome I, p. 34.

4. 1419.

IX. In quo cum in parentum domo annum aetatis paene duodecimum exegissemus nosterque affectus tenderet ad litteras capessendas, ipsi parentes, non volentes hujusce nostram affectionem avertere aut infringere, nos ad illud famosissimum litterarum studium Parisiense transmiserunt¹. In quo sub pædagogo paulo amplius quinquennio dialecticis et philosophicis litteris operam dedimus, et super aetatis defectu, quoniam nondum xviii. aetatis annum attigeramus, dispensato nobiscum, gradum magisterii in artibus, more illius studii, assecuti sumus².

X. Inde vero cum generale studium noviter in Lovanio, oppido Brabantiae, fuisset erectum³, de parentum ordinatione ad dandum operam studio juris civilis illuc nos contulimus⁴.

XI. Ubi cum per annos aliquot stetissemus, volentibus eisdem parentibus nostris, ad Ticinum urbem, quae et Pavia, hujusce studii juris civilis gratia nos transtulimus.

XII. Ubi cum per aliquantum tempus studuissemus, recepto gradu licentiae, ad natale solum revisendorum parentum gratia rediimus, ad oppidulum videlicet *Caudebec*.

1. Fin de 1424.

2. Premier semestre de 1430, car les examens de licence commençaient en carême, et l'on arrivait à la maîtrise immédiatement après.

3. L'université de Louvain fut créée en 1427 par le duc de Brabant.

4. Il fut obligé auparavant de se faire recevoir dans la Faculté des arts de Louvain; ce qui eut lieu le 31 décembre 1431, au témoignage de Valerius Andreas, rapporté ci-après.

XIII. In quo cum paucis mensibus remorati essemus, denuo ad dandum operam studio juris canonici Lovanium repetiimus. Illic vero, hujusce studio vacantes, stetimus per plures annos.

XIV. Et demum, recepto in jure canonico licentiæ gradu, anno septimo pontificatus Eugenii papæ IV, incarnationis dominicæ 1437¹, ex Lovanio, transmissis iterum Alpibus, Bononiam, Italiæ urbem, petiimus, in qua tunc idem pontifex cum sua curia residebat.

XV. Porro cum inibi tum curiam, tum litterarum studia sequendo menses circiter septem transegissemus, iterum per Germaniam domum parentum repetiimus, qui tum Rothomagi morabantur². Illo enim sese contulerant fugientes immanes oppressiones quas civibus oppiduli sui de *Caudebec* et totius patriæ Calentensis accolis dietim faciebat quidam Fulco Ethonis, Anglicus impiissimus et sævissimus prædo, qui cum certo satellitum numero, non inferioris nec imparis nequitæ, a rege Anglorum pro præsidio illic collocatus erat. Sane cum illic circiter menses quatuor stetissemus, videremusque miserandas patere clades, quæ tribus simul divinæ justitiæ flagellis, bello scilicet, fame et peste, mirum in modum lamentabiliter atterebatur atque affligebatur³, non valentes æquis oculis tantas ac tam sævas simul grassantes clades

1. Le 15 novembre, d'après les fastes de l'Université de Louvain par Valerius Andreas.

2. A la fin de 1437 et au commencement de 1438; mais il est impossible que son séjour à Bologne ait été aussi long qu'il le dit, d'après les synchronismes qui suivent.

3. Comparer l'Histoire du règne de Charles VII, l. III, c. 5.

intueri atque perferre, suadente genitore optimo, qui contemplantur nos lamentis et gemitibus continuis confici nec consolationem posse nos recipere, videntes singulis pæne horis pauperum turbas fame pestilentiaque deficere, iter redeundi in Italiam denuo arripuimus¹.

XVI. Transmisso autem mari, cum nusquam per terras Galliæ, ob bellorum et prædonum immanitatem, tutus cuiquam transitus pateret, in Angliam et urbem Londoniarum appulimus. Ubi longa et acuta febre correpti, duorum facere illic mensium mansionem compulsi fuimus.

XVII. Recuperata autem valetudine, per mare iterum navigio in Zelandiam et Hollandiam delati, inde per Germaniam ad transitum Alpium ascendentes, Papiam petiimus, in qua jamdudum studiorum causa mansionem feceramus. Et quia pestis tunc Ferrariæ sæviebat (ad quam urbem Eugenius se et curiam suam e Bononia transtulerat causa adventus Græcorum, qui ab eo accersiti celebrandi œcumenici concilii² gratia illo adventarant), necesse nobis fuit Papiæ tres aut quatuor menses remorari.

XVIII. Quibus emensis, cum hujusmodi pestis jam Ferrariæ, non quidem extincta, sed utcumque remissa fuisset, dimissa Papia, Ferrariam descendimus. In qua urbe tres circiter menses exegimus, curiam simul apostolicam et litterarum studia secuti.

XIX. Cum autem Eugenius pontifex, eo quod propter hyemem minime cessaverat pestis Ferrariæ,

1. Été de 1438.

2. Le concile de Ferrare était ouvert depuis le 10 janvier 1438.

curiam cum œcumenico suo concilio Florentiam transulisset ¹, e Ferrara curiam sequendo Florentiam migravimus.

XX. In qua urbe cum menses septem et amplius egissemus, litterarum semper studia et curiam frequentantes, cum reverendissimo patre Johanne ², archiepiscopo Tarentino, in Pannoniam profecti fuimus. Erat enim in hisce regionibus legatus apostolicæ sedis. Fecimus autem et habuimus mansionem cum eo in oppido Budæ, supra ripam Danubii, menses quatuor. Plures etiam alias quaquaversum particulares mansiones habuimus, nunc in Vicegrado ³, nunc in Strigonio ⁴, nunc in Jaurino ⁵ civitatibus, atque hac et illac, prout se rerum gerendarum opportunitas offerebat seu urgebat.

XXI. Exactis itaque in ea legatione mensibus octo, demum Florentiam cum eodem domino repetiimus ⁶; in qua urbe post regressum de hujusce legatione paulo amplius anno uno temporis exegimus.

XXII. Quo exacto, Italiæ valescentes, Rothomagum repetiimus, canonicatum et præbendam illius insignis Ecclesiæ Rothomagensis assecuti, cum nonnullis aliis etiam ecclesiasticis proventibus ⁷. Tunc autem inibi menses sex residentiam fecimus.

1. Janvier 1439.

2. Jean de Tagliacozzo.

3. Vicegrad, près de Bude.

4. Ou autrement Gran, sur le Danube.

5. Javarin ou Jaszbereny, capitale de l'azygie.

6. Commencement de l'année 1440.

7. Thomas Basin acquitta le prix de sa bienvenue au chapitre de Rouen le 23 mai 1441, comme on le verra par l'extrait des Registres capitulaires, rapporté parmi les pièces justificatives.

XXIII. Quibus transactis, cum in studio Cado-mensi, quod noviter erectum et inchoatum fuerat ¹, nulli aut rarissimi doctores aut periti juris essent, qui ordinariorum et publicarum lectionum oneri, uti par erat, satisfacere possent, illo e Rothomago ex ordinatione consilii regii ad lectionis ordinariæ juris canonici munus subeundum destinati fuimus. Cui incumbentes muneri, simul etiam conservatoriæ ipsius universitatis primum, ac deinde episcopalis jurisdictionis officio atque administrationi suffecti ², annos sex in eo insigni oppido et aliquid amplius residentiam fecimus.

XXIV. Exacto autem hujusce temporis spatio, cum vacasset ecclesia Lexoviensis per obitum pontificis ³, ad eam regendam, indigni licet, concorditer ab omnibus canonicis electi, et per bonæ ac felicis recordationis Nicolaum papam V, primo pontificatus sui anno, anno gratiæ 1447 ⁴, ætatis nostræ anno xxxv, imperante adhuc in Normannia Henrico de *Lencastræ* ⁵, prioris Henrici filio, de quo supra mentionem fecimus, Anglorum rege, promoti, dimisso Cadomo, Lexovias migravimus.

XXV, XXVI, XXVII, XXVIII. In qua civitate, nostro incumbentes pastorali officio pro viribus nobis a Deo datis, residentiam per annos decem et octo atque mansionem habuimus. Hisce tamen intercur-

1. L'université de Caen fut fondée, puis augmentée par le gouvernement anglais, en 1431 et 1437.

2. Official et vicaire général de l'évêque de Bayeux.

3. Pasquier de Vaux, qui figure dans le procès de la Pucelle.

4. Le 11 octobre.

5. Henri VI.

rentibus annis, semel Carnoti, semel Vernone, semel Bituris et semel Parisius¹, Rothomagi vero sæpius, pro publicis regni atque ecclesiæ conciliis et conventibus accersiti, uno vel pluribus mensibus stationes atque morationes habuimus².

XXIX. E Lexoviis vero cum ad jucundum adventum felicitatis recordationis Karoli, ducis Normanniæ, filii illustrissimæ memoriæ Karoli VII, Francorum regis, Rothomagum advenissemus, circa festum Omnium Sanctorum 1465, paulo post, impio rege Ludovico, fratre suo, ipsum et qui sibi adhæserant persequente, nobis necesse fuit, si salvi esse volebamus, impias ejus manus et furorem declinare atque effugere. Unde nostrum antiquum Lovanium, in quo olim studio juris civilis et canonici operam dederamus, tanquam tutum nobis latibulum atque profugium, duximus repetendum anno 1465, more gallicano, quinta die mensis januarii³.

XXX. In quo cum menses circiter octo delituissemus, opperientes quod furorem suum adversus fratrem et cæteros, qui fuerant partium suarum studiosi, Ludovicus ipse temperaret, allecti atque a quamplurimis amicis persuasi, sub confidentia amplissimarum abolitionum suarum, quibus omnia cunctis condonabat, quæ adversum se quocumque modo delinquendo ad-

1. Il alla au moins deux fois à Paris, puisqu'il y était en 1454 pour aviser à la réforme de la justice, et qu'il y fut encore à l'avènement de Louis XI. Voir ci-après son Épilogue.

2. Il oublie ou omet à dessein l'ambassade en Lorraine dont le chargea le duc d'York, et son voyage à Reims lors du sacre de Louis XI.

3. Le 5 janvier 1466.

mittere potuissent, eos ad omnia sua plenarie restituendo, ita ut ea apprehendere et recuperare pro suo nutu absque aliqua justitiæ vel exsecutorum ministerio valerent; simul etiam potissime ad hoc persuasi ut ecclesiæ nostræ Lexoviensis et populi, curæ nostræ crediti, regimini atque administrationi vacare et incumbere possemus¹, relicto Lovanio, ad urbem Aurelianensem accessimus², in qua tum ipse Ludovicus cum suo comitatu agebat, postquam præfatum Karolum, suum unicum germanum, contra fidem et sacramenta, a se solempnissime eidem fratri suo præstita, Normannia expulerat. In ea urbe, curiam suam secuti, instanter postulabamus et supplicabamus quatenus suis amplissimis abolitionibus et pollicitationibus nos gaudere permittens, qui sub earum confidentia ad præsentiam majestatis suæ redeundi ausum sumpseramus, sinere vellet nos ad ecclesiam nostram reverti atque in eadem juxta suas pollicitationes residentiam facere. Et hoc assidue prosequendo et supplicando, plusquam duorum mensium spatium Aurelianis stationem cum multo tædio habuimus, pluribus etiam injuriis sæpe affecti.

XXXI. Cum autem inde movens idem Ludovicus ad Bituricensem urbem cum suo comitatu se transtulisset, vestigia ejus nos illo etiam sequi necesse fuit². Unde in ea urbe trium paulo minus mensium mansionem fecimus. Quibus decurrentibus, cum instanter et assidue precaremur ut, nos dicti suis amplissimis abolitionibus gaudere permittens, redire nos ad ec-

1. Comparer l'Apologie, l. I, c. 10.

2. Au mois de novembre 1466.

3. Janvier 1467.

clesiam nostram permittere vellet, aliud ab eo obtinere nequivimus, quam quod in Cataloniam, regionis illius intemperantissimæ æstibus conficiendi, proficisci et in Perpignano oppido residentiam facere deberemus. Quod, licet valde inviti, adigente nos tamen necessitate, oportuit ut faceremus, cum manus impiissimi tyranni et imperium, quantumvis iniquum, nullatenus tunc effugere valeremus.

XXXII. Itaque ex urbe Biturica Perpignanum profecti¹, in eo oppido mansionem fecimus per annum integrum et duos menses. Unde cum emigrandi et de tali exsilio in Franciam revertendi licentiam obtinuissimus et ea potiri speraremus, quorundam pravorum hominum suggestione, ipse Ludovicus rex paulo post eam revocavit et in irritum deduxit.

XXXIII. Hoc autem cum audiissemus, non expectato nuntii adventu, qui jam in itinere erat accedendi ad nos, priusquam hujusce revocationis atque inhibitionis litteræ, ne inde discederemus, ad nos usque perlata forent, relicta Catalonia, prope per patriam Occitanam et Delphinatum Gebennas, Sabaudia civitatem, impias tyranni manus effugientes, pervenimus², Deo nos sua benignissima clementia conducente et iter nostrum dirigente. Quod ita facere utique necesse nobis erat, si incolumes superesse volebamus.

XXXIV. In ea autem civitate stationem habuimus trium mensium, prout latius in nostro apologetico

1. Avril 1467. Thomas Basin omet d'expliquer ici qu'il partit pour Perpignan, non pas de Bourges, mais de Tours. Il faut faire attention qu'il ne veut parler que de ses séjours, et non pas de ses déplacements. Voir l'Apologie, l. I, c. 11.

2. Juin 1468.

narravimus¹. Quibus emensis, Basileam, Germaniæ urbem, nos contulimus², sperantes tyranni animum ad nostros, in quos nostri causa sæviebat, reddere utcumque mitiorem. In ea autem urbe sex mensium residentiam habuimus.

XXXV. Quibus transactis, per Rhenum ad partes inferiores³ descendentes, cum fœdus pacis percussum apud Peronam inter Ludovicum regem et Karolum, Burgundionum ducem, stabile, firmum atque permansurum putaretur, nostrum antiquum Lovanium iterum repetiimus⁴.

XXXVI. In quo cum paulo minus duorum annorum spatio mansissemus, illius pacis apud Peronam factæ rupto fœdere, et ad recidiva bella redito inter præfatos Ludovicum regem et ducem Karolum, ex Lovanio Treverim migravimus⁵, in qua urbe satis quiete et tranquille circiter annos quinque et menses totidem transegimus.

XXXVII. In anno tamen quarto Romam profecti sumus, ubi duorum mensium mansionem habuimus⁶.

XXXVIII. Et hisce exactis, Treverim iterum rediimus in eaque urbe quinquennium integrum complevimus, non computatis in eo quatuor illis mensibus, quorum duos eundo Romam et redeundo, et alios duos illic manendo confecimus.

XXXIX. Cum autem, discesso ab armis, treugæ inter

1. Livre I, ch. 18.

2. Août 1468.

3. Niederland.

4. Commencement de 1469.

5. Décembre 1470 ou janvier 1471.

6. Mars-juillet 1474.

Ludovicum regem et ducem Burgundionum Karolum compactatæ et firmiter juratæ ad novem annos fuissent¹, quæ immobiliter et inconcusse, interveniente licet etiam interim alterius morte, secundum formam et tenorem pactorum duraturæ putabantur, valescentes insigni Treverensium urbi, nostrum Lovaniense domicilium repetimus²; ubi unius anni mansionem fecimus.

XL. Verum cum, nondum emenso anni spatio, Karolus, dux Burgundionum illustris, in Lotharingia prope Nanceyum extinctus fuisset cum magna parte copiarum suarum³, et Ludovicus, iterum fracto treugæ a se promissæ fœdere (quæ novennis permansisse debuerat), bella contra hæredem ducis Karoli filiam unicum terrasque ac subditos suos recidiva inchoasset, ad urbem Trajectum inferius⁴, insignem utique civitatem, licet frequentibus civium inter se seditionibus agitari et affligi nimium, proh dolor! assuetam, nos contulimus, anno videlicet Domini 1477, quarta die junii.

XLI. In qua cum annos sex exegissemus, oborta inter se civium et adversus pontificem suum ac principem gravissima seditione et perniciosissima factione⁵, ex ipsa urbe, videntes de proximo sibi imminere periculosam obsidionem, ad tempus discessimus,

1. Il veut parler de la paix de Soleuvre, conclue au mois de septembre 1475. Histoire du règne de Louis XI, l. IV, ch. 48.

2. Avril ou mai 1476.

3. Janvier 1477.

4. *Trajectum inferius* pour distinguer Utrecht de Maestricht, qui était *Trajectum superius*.

5. Voir l'Histoire du règne de Louis XI, l. VII, ch. 7.

atque ad Bredam, Brabantiae oppidum, transivimus, locum utique tunc satis quietum et tranquillum¹.

XLII. In quo cum menses undecim demorati essemus, finem obsidionis et belli Trajectensis opperientes, soluta obsidione et ad sui pontificis atque principis optimi obedientiam civitate reducta, ad eam nos reduximus; ubi domum commodissimam atque amoenissimam, gratias Deo, sortiti sumus, quam magna ex parte ad levamen utcumque nostræ senectutis (qui nunc ætatis annum septuagesimum et sextum agimus) construi fecimus.

An autem hæc nobis ultima ac novissima in terris statio futura sit et in hoc sæculo nequam, vel adhuc divina bonitas alio nos migraturos constituerit, nos clementer per flagellorum suorum visitationem ac patientiam exercendo seu castigando, incertum habemus. Speramus tamen, Dei misericordia, nos in terris hanc novissimam stationem ac mansionem habituros; de qua cum migrandum fuerit, peragratis desertis hujus sæculi per septuaginta et sex annos, et super hoc etiam per totidem quibus superstites nos adhuc hic permanere divina miseratio permiserit, veram terram promissionis, quæ nec est terra viventium, ingrediamur. In qua speramus bona Domini visuros et ibi sedes perpetuas ac felicissimas habituros, nec inde ullo post hoc ævo alio migraturos aut peregrinatos. Quod nobis misericorditer concedere dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus benedictus in æternum. Amen.

1. Juin 1483.

In hoc autem catalogo et breviliquio mansionum, quas in peregrinatione hac nostræ mortalitatis habuimus, in numero posuimus interdum sæpius eundem locum (quod in catalogo mansionum populi Israelitici in deserto legisse nos meminimus), eo quod per intervalla et varias temporum vices ad eundem locum redire vel necesse vel commodissimum nobis fuit, annorum tamen aut mensium spatiis inter ipsas varias vices semper decursis. Quod si numerare voluissemus singulas vices quibus a rege vel Parisius, vel Rothomagum evocati fuimus, illic etiam interdum per menses remorati vel in consilio regio, vel ad conventus publicos totius patriæ, vel etiam ad Scacarium Normanniæ, quod est supremum tribunal et summa curia Normanniæ, in qua omnes causæ provincialium irrevocabiliter diffiniuntur, procul dubio, nedum ad quadraginta duarum numerum mansionum, sed ad majorem etiam multo pervenire potuissemus. Verum eas quæ majores et principiores diutiorisque remorationis exstiterunt, satis nobis visum est suffecisse referre.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui, ut me indignum servum tuum erudies et doceres, in hujus mundi deserto non habere civitatem manentem, sed futuram in cœlis debere inquirere, unde nullo unquam eventu cuiquam necesse aut velle esse possit alio emigrare, multas et varias mansiones in eodem deserto habere voluisti, per quas peregrinantem me etiam ab innumeris periculis misericorditer præservasti: tribue propitius et concede in hac mortalitatis

meæ peregrinatione, per fidem in tua dilectione ambulantem, in tuo sancto famulatu tuorumque observantia mandatorum in finem usque perseverare, ut tandem, exacto ejusdem peregrinationis cursu, veram terram promissionis, cœleste scilicet regnum supernamque tuam sanctam civitatem Jerusalem, feliciter valeam ingredi, atque in ea cum omnibus sanctis et electis tuis beatæ divinitatis tuæ visione atque fruitione perpetuo satiari. Per nostrum Jesum Christum, cui est laus, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT BREVILOQUIUM PEREGRINATIONIS ET MANSIONUM,
 QUAS USQUE AD QUADRAGINTA DUAS HABUIT IN DESERTO
 HUIUS MUNDI, THOMAS, PRIMUM EPISCOPUS LEXOVIENSIS,
 IN PROVINCIA ROTHOMACENSI, DEINDE ARCHIEPISCOPUS
 CESARÆE PALESTINÆ, TENDENS PER IDEM DESERTUM
 AD VERAM TERRAM PROMISSIONIS, EDITUM
 TRAJECTI, ANNO DOMINI MCCCCLXXXVIII,
 MENSE MADIO. DEO GRATIAS.